

honorem facile auditur alteri restituere? At licet per restitutionem sanetur vulnus, manet tamen cicatrix, et memoria aut fama.

VI. Suadet tum ingens utilitas, si bene regatur; tum ingens damnum, si male. Unde optima et pessima pars habita, S. Jacobus, capite III. *Frænum equi gubernaculum navis*; per illud autem totus equus, per hoc tota navis gubernatur. Est primum territorii propugnaculum; quod si custodiatur, terra ipsa ab hoste salva erit: si ab hoste occupetur omnem terram prædæ exponit. Est instar ludi alearum, teste S. Gregorio Nazianzeno, orat. I. de theolog. cum ait: *In verbis perinde atque in alexæ ludo versantur*. Ut enim per alexæ ludum facile uno alterove jactu magnæ opes perduntur, et ipsæ sæpe vestes, ut jam honeste apparere non possit, qui perdidit; sic uno alterove verbo proditur sæpe ac perditur tota existimatio.

Quid igitur faciendum ne capiamur lingua nostra? Primo, non præpropere loquendum, sed considerate. Quod docet in hodierno evangelio Christus, qui non statim respondit quæstioni Pharisæorum, sed prius ostendi sibi numisma petiit, ut ex illius inspectione responsum desumeret. Sic ferox equus semper in fræno tenendus, non laxandum ei lorum. David linguam suam *calamum* appellat, Ps. XLIV. *Lingua mea calamus scribæ*, id est, *loquentis velocitatem cum scribentis maturitate conjungo*, inquit in eum locum S. Ambrosius, epist. XLV. quæ enim scribuntur, cum majore mora et consideratione promuntur, quam quæ dicuntur; unde solidiora magisque composita sunt. Deinde, quia ex nobis solis non sufficimus ad frænandam linguam ut nunquam labatur, in tanta lubricitate, totque lapsus occasionibus (ut indicat S. Jacobus, c. III.) rogandus Deus frequenter cum Davide, Psal. CXL. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis*, et Psalm. L. *Domine, labia mea aperies*: et cum Esther, capite XIV. *Tribue sermonem compositum in ore meo*. Quid enim agat infans aut æger sedens in equo ferocienti, nisi ut robusti viri opem impleret, qui equum ducat ac contineat? Gubernator hic non nisi Deus est: *Domini est gubernare linguam*, ait Sapiens, Proverbiorum XVI. Quomodo scilicet Deus Noe in arcam ingresso clausit foris ostium, Genesis VII. bitumine scilicet vel pice contra aquas oblinens. Quis enim alius hoc fecisset, Noe intus incluso? *Pone ergo Domine, custodiam ori meo*, ut non nisi ea, quæ ad salutem nostram et gloriam tuam sunt, loquamur. Amen.

CONCIO IV.

VERITATEM LIBENTER AUDIENDAM ESSE.

I. Quia pulchra est. — II. Quia illuminat. — III. Quia condecorat et ornat. — IV. Quia arguit sui osorem. — V. Quia promovet ad veros honores.

THEMA.

Magister, scimus qui verax es, et viam Dei in veritate doces. Matth. XXII.

Non exigua laus Christi Domini fuit, quod vel ab invidis Judæis: *Magister verax et doctor veritatis* diceretur. Quo etiam nomine commendatur a Josepho Judæo, libro XVIII. antiquit. capite IX. *Erat, inquit, doctor omnium eorum, qui libenter audiunt quæ vera sunt*. In ipsius etiam figuram, Exodi XXVIII. summus pontifex in pectore gestare debebat duo illa verba: *Urim et thummim*, hoc est, *doctrina et veritas*. At vero non semper æque grata est veritas audientibus. Aspero enim vestitu, rugosa fronte, vultu serio incedit, sicut et Christus in hodierno evangelio, cum Judæos arguit: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Rursum: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*. Desiderabant illi audire prohibentem tributa dari Cæsari, ut possent eum accusare; alii ut immunes fierent a censu Cæsareo: sed audiunt contrarium, quia veritatis doctor erat. Hujus vos discipulos esse volo, auditores, ita ut veritatem, tametsi sæpe ingratam, libenter audiatis. Ægyptiorum iudices, quia veritatem maxime audire et propugnare tenebantur, collo appensam gerebant imaginem ex sapphiro, cui nomen erat *veritas*, ut scribit Ælianus, libro XIV. capite XXXIV. quod nimirum ea per sapphirum belle designaretur. Hanc ergo imaginem vobis appendam, Christiani: quia veritas maximum Christianorum decus est, tamquam veritatis a Christo traditæ studiosorum, quia pulchrum, salutare, gloriosum.

I. Sapphirus pulcherrima gemma est cœrulei (olim saltem, ut antiqui testantur) coloris, punctis aureis quasi stellis interlucentibus decorata, adeoque cœli figuram referens, ut referunt Plinius et Isidorus. Cœlo quid lucidius, quid pulchrius, quid inexpugnabilius? Sic veritas tam pulchra et limpida est, ut etiam malevolorum oculos perstringat et vincat: tam fortis, ut etiam hostes suos assentiri sibi cogat. Patet exemplis etiam ethnicorum. Caius Caligula, perversus, impudens ac truculentus homo, cum modo instar feminæ, modo deorum cultu ornatus prodiret, aliquando in altissimo throno sedens tamquam deus, vidit sutorem Gallum se ridentem. Rogans ergo quid sibi de ipso videretur, audit: *Ipsius cul-*

tum videri sibi magnum deliramentum. Convictus hac veritate lucidissima, correptionem æquo animo tulit, ac sutori ignovit, auct. Xiphil. in Calig. Amasis cum potationibus vacans multa passim suffuraretur, et ad oracula adductus, ab uno velut reus accusatus ab altero velut innocens absolutus esset, post rex Ægypti factus, munera misit oraculo veraci, nulla vero mendaci: illud coluit ut verax, hoc sprexit ut mendax, Herodot. lib. II. Tam pulchra igitur est veritas et tanta ejus vis, ut nec impiis displicere queat, sed eorum calculo potius approbetur. Quod etiam patuit in Philisthæis, qui arcæ Judaicæ potentiam et sanctitatem, sui vero Dagonis inanitatem ac debilitatem ingenue confiteri compulsi sunt, I. Reg. V. *Dura est manus ejus super nos, aiunt, et super Dagon deum nostrum*. Certe etiam Pilatus, quando audiit Christum dicentem, se veritatis esse præconem, statim hanc de eo tulit sententiam ad populum: *Ego nullam in eo invenio causam*, Joan. XVIII. quasi ipsum veritatis nomen hominem ethnicum et impium perculerit. Unde Rupertus abbas in eum locum scribit: « Veritatis nomen amabile est. Et honorabile illud est: humana sponte natura consentit; et licet significatum ejus nequissimi nebulones oderint, tamen ipsum ejus nomen nulli unquam detestari licuit. Itaque victus et deficiens dicit ei Pilatus: Quid est veritas? »

II. Sapphirus *visum acuit*, ait Greg. Nyssen. orat. XIV. in Cant. Sic omnino veritas instillata aperit tibi oculos, et videre tuos nævos facit. Solem amamus, quia ostendit nobis res sicut in se sunt: atqui veritas solis instar monstrat te ipsum tibi, qualis es. Certe si gravi morbo laborares, non velles medicum dissimulatione uti aut silentio, vel obscuris verbis morbum dissimulare, sed morbi vim, causas malitiæ et radicem indicare, ut cavere tibi in posterum et consulere sanitati posses. Hinc Aristoteles æger medico dixisse fertur: *Ne me cures sicut bubulcum aut fossorem, sed morbi causam edissere; tunc parebo*, Cœlius, l. XXI. antiq. lect. XXXIX. ex Ælian. l. IX. De ursò scribunt, ultro eum caput inserere in alvearium apum; ut illarum aculeis confixus, capiti suo debili et malis humoribus obnoxio medeatur, Plinius, l. VIII. c. XXXVI. Hunc in modum principes aliqui, quos nemo facile, quem admodum nec ursos curare audeat, mutato habitu, miscuerunt se suis subditis, ut ab illis saltem redarguti, suos defectus intelligere et emendare possent. Sic egit Ludovicus I. rex Hungariæ, qui ne plebs ab officialibus iniquius premeretur exactionibus et injuriis, dissimulato habitu, per vicos et castella ibat; ibique eorum, necnon

IV. PARS ESTIVALIS.

suos defectus a subditis explorabat, Bonfin. l. X. dec. I. Sic etiam Fridericus senior dux Austriæ sæpe, mutata veste, solus inter agrestes versatus est, cum quibus diurna mercede et arans et alia quævis munia faciens rursus, et de seipso et de purpuratis suis confabulari consueverat. Rogatus cur id faceret: *Neque enim de me, inquit, alio modo verum audire possum, Æneid. Sylv. l. III. comment. in Panorm.* Jam si hi tanto labore et sui abjectione veritatem sibi venati sunt, quis non apprehendat obviis ulnis sibi obviantem? Quod si eam quis audire et cognoscere cupiat, audiat verbum Dei, vel legat Sacras Scripturas. Pro insigni munere misit Bonifacius V. Pp. Edelburgæ reginæ Angliæ, speculum argenteum, auct. v. Beda, l. II. hist. Angl. anno Domini 625. quia tales personæ studiose indagant, si quos habeant nævos aut maculas, ut emendent. Vis hujusmodi speculum? Verbum Dei consule. Eo nos remittit Isidorus Pelusiota, l. II. ep. CXXXV. cum ait: « Spirituale speculum, hoc est, Sacras Scripturas, in quibus et proborum virorum historia, et salutare a Deo positæ continentur, perpetuo in manibus habendum esse. Hoc enim speculum non modo deformitatem ostendit, sed etiam, si velimus, in incredibilem quamdam pulchritudinem immutat. »

III. Sapphirus ornamentum erat summorum pontificum, necnon regum, et ut diximus, iudicum apud Ægyptios; unde et in magna veneratione erat: *Gemma gemmarum* dicta, uti refert p. Cornelius, in c. XXXI. Apocal. Pari modo veritas in aures et animam admissa, hominem nequam obscurat, sed magis elucidat et ornat gloria et existimatione. Audiamus Sapientem, Prov. XXV. *Inauris aurea, inquit, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem*. Inauris, etsi inserta perforat aurem et non nihil vulnerat, ornat tamen, non dedecorat: unde olim nobilitatis insigne erat, teste Rhodigino, l. III. c. XXV. ita etiam veritas instillata auribus et admissa aliquantum ferit, non tamen infamia, sed honore potius afficit. Ita docet S. Chrysost. hom. X. in Acta apost. « Non est confusio, inquit, ab alio corrigi, imo confusio est repellere corrigentes, et in damnum propriæ salutis hoc facere. Et tu quidem, si vestem induaris inversam, permittis te a puero admoneri, et non confundaris ab illo discens, quamvis certe in hoc magna confusio, etc. Et ornantem quidem te fers servulum et calceantem, ornantem autem animam non fers. » Celebrantur sane et laudantur usque hodie magnates illi, qui veridicos increpantes se libenter et demisse audierunt; uti in primis Moyses, quia Jethro redargutus, non modo id de-

decori sibi non duxit, sed aurem monenti libens dedit, idque sua ipsius manu litteris consignavit et posteris enarravit, Exodi XVIII. Nihil etiam honoris detraxit pontifici Heli admonitio Samuelis pueri, nec Sancto Petro reprehensio Pauli; quin potius augmentum dedit. Theodosius imp. quem ob eadem Thessalonicensium præcipiti sententia imperatam, litteris primo graviter reprehendit S. Ambrosius, deinde templo prohibuit ac communione, omnia libenter ac demisse tulit, suam in domum se includens, donec publica pœnitentia satisfaceret. Eundem aliquando ad chorum et altare oblationis causa prodeuntem, et in choro hærentem exire ad sedes plebium, idem jussit Ambrosius, quod chorus non pro sæcularibus, sed pro clericis factus esset: eui etiam mox paruit. Quas ob causas Ambrosius eum in oratione funebri magnopere commendat. « Dilexi virum, inquit, qui magis arguentem quam adulantem probaret; stravit omne quo videbatur, insigne regium. Deflevit in ecclesia publicæ peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu et lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator, publicæ agere pœnitentiam, neque nullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. » Nonne hæc est laus magna imperatoris?

IV. Sapphirus veneno resistit, et araneæ junctus, eam occidit, ut Dioscorides refert. Quid vero aranea nisi venatorem muscarum stultæ adulationis et textorem subtilis et fragilissimæ telæ mendaciorum significat? Ergo veritas repulsa et exclusa, mendacii amantem aliquando graviter sauciabit, arguet et necabit; cum is advertet quantum sibi obfuerit non audivisse veritatem, sed adulatores potius, et captasse inanes muscas. Continget his quod apud Hollandos cuidam, qui in convivio igni propinquior accubuit, ut vestis ejus una adureretur. Id enim advertens e convivis quidam: « Habeo, inquit, quod tibi nuntiem. Tum alter: Si quid, ait, tristius est, nolo audire in convivio, ubi convenit festiva lætaque esse omnia. Non est, inquit, admodum lætum. Mox alter: Post convivium, ait, seria. Ubi cœnatum esset hilariter, nunc, inquit, dicito quidquid voles. Ostendit illi vestem a tergo enormiter adustam. Ibi stomachari cœpit, quod non admonuisset in tempore. Volebam, inquit, at tu vetabas. » Eras. in adag. Sic enim multi correptiones pro re seria non habent, et quia tristes sunt, eas refugiunt; sed in morte demum videbunt laceratam animam suam, et dolebunt se clausisse aures suis veridicis. Croesus Lydorum rex, opibus et fortunis insolens, cum a Solone

audisset neminem mortalium ante mortem beatum dici debere, Solonem tamquam stultum hominem, qui præsentem felicitatem parvi nimis fecisset, in exilium expulit. Mox expeditione contra Cyrum Persarum regem suscepta, cum se hominem non esse recordaretur, captus, regnoque exutus, pyræque ut cremaretur impositus, jamque flamma correptus Solonis veridici sui recordatus, ter ipsum alta voce in clamavit: *O Solon, o Solon, o Solon!* Herod. l. I. Quo audito, rogus jussu Cyri extinctus. causaque intellecta, miser dimissus est. Hunc in modum punget aliquando veritas in inferno, et maectabit araneas, id est, improbos, qui venatione aranearum, mendaciorum et adulationum delectati, veritatem audire respuerunt, dicentque cum inferis illis, Sap. V. *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non illuxit nobis*, q. d. nemo nos admonuit futuræ calamitatis, quam nunc experimur: nemo correxerit. Sed quid dicitis, miseri? Itane viam non vidistis? Vel saltem discere a tot indicibus non potuistis? Tot concionatoribus, confessariis, libris? Itane lumen Sacræ Scripturæ non vidistis? Solem justitiæ Christum non vovistis? Nimirum sicut in vita, ita et nunc in inferno mendacium amatis ac loquimini. Novistis utique sed audire et intueri nolulistis: oculos et aures clausistis. Dicite igitur potius ac verius: Scivimus viam, habuimus indices, sed non audivimus eos. Vidimus lumen concionum, solem Christum, ejusque evangelium, sed aspicere noluimus.

V. Sapphirus a Romano pontifice mittitur recens creatis cardinalibus, eosque inaugurat et quodammodo desponsat Ecclesiæ tamquam ejus senatores, sicut annulus episcopum desponsat suæ diœcesi, uti refert Cornelius in c. XXI. Apoc. ̄ XIX. Veritas etiam adamata et libenti animo accepta, promovet ad veram libertatem et cœlestes honores. Quod in primis indicavit Dominus, Joan. VIII. cum ad fideles suos dixit: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*, Græce, liberos et ingenuos constituet vos. Liberos a servitute peccati, concupiscentiæ et ipsius mortis, a qua vos suscitabit ad vitam immortalem et beatam, ad quam et deducit. Idem confirmat Sapiens, Prov. XV. ̄ LI. *Auris, quæ audit increpationes vitæ, inquit, in medio sapientum commorabitur*. Increpationes vitæ appellat veritatem, seu doctrinam salvificam, quam docuit Christus Dominus, quæ et exaltat audientes, ut veri Christi discipuli et doctores etiam aliorum fiant. Unde v. Beda in eum locum ait: « Discipulus, qui increpationibus docentium obedienter

annuit, plerumque proficiendo ad cathedram usque doctoris ascendit. Denique, Paulus, qui increpationi sui conditoris humiliter se substravit, ad sedem postmodum apostolicæ dignitatis sublimer pervenit. » Huic accedit S. Chrysost. hom. IV. de patient. Job. « Si quis correctus, inquit, genere tulerit correctionem, audit a Deo: Exurge, veluti cum ad Jerusalem dixit: Exurge Jerusalem, quæ bibisti de calice iræ, » Isa. LI. Calix ille fuit captivitas Judæorum in Babylone; qua ubi castigati per septuaginta annos fuere, rursus erepti et reducti sunt in patriam, ubi ruinas templi et Jerosolymæ instaurarunt. Ita et quicumque doctrinam veritatis ad correctionem suam humiliter audiunt ac suscipiunt, ii, velut cives cœlestes et ingenui, digni beatorum consortio, ad cœlestem evehuntur Jerosolymam.

Quare, auditores, ut illorum purpuratorum et sapientum numero accenseri mereamur, simus ex eorum numero, qui veritatem libenter audiunt: pendeat hic sapphirus et doctrina veritatis semper in collo nostro, ponamus hoc signaculum super cor nostrum et super brachium nostrum, et diligamus veritatem corde et opere. Non obmurmuremus et recalcitremus, quando reprehendimur, imo et castigamur: sed potius, velut donum cœlestis, cum omni reverentia veritatem excipiamus, juxta monitum beati Joann. Climaci: *Omni die objurgationes quasi aquam vitæ bibe*.

CONCIO V.

QUI POTISSIMUM DEUM PERICULOSE TENTENT.

I. Qui sine omni reverentia Deum adorant, Dei bonitatem tentant. — II. Qui Dei sapientiam eludere conantur, ut hypocritæ, ejus sapientiam tentant. — III. Qui Deo diffidunt, ejus providentiam tentant. — IV. Qui peccatis addunt peccata, tentant Dei longanimitatem. — V. Qui per miraculum aliquid petunt, tentant Dei potentiam, et qui nimis præsumunt.

THEMA.

Quid me tentatis, hypocritæ? Matth. XXII.

Videntur verba illa Domini: *Quid me tentatis hypocritæ?* præ se ferre bilem aliquam et motum iracundiæ; quod etiam indicat auctor imperfecti, dum in ea scribit: *Utilior enim est Deus iratus, quam homo propitius*. (Quamquam ira et passionis aliæ in Christo non ita fuerint uti sunt in nobis, quia ex imperio rationis Christus eas assumpsit, et deposuit cum voluit; unde non passionis, sed propassiones fuisse in Christo do-

cent theologi cum doctore Thoma, III. p. q. XV. a. IV.) Verum cur irascitur Pharisæis Christus tentatus ab illis, qui vel ipsi Satanæ, cum ab eo tentaretur, non fuit iratus? Matth. IV. Non enim increpando, sed Scripturas opponendo ipsi occurrit, dicens: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis*. Nonne potius tentatori Satanæ debuit irasci, quam tentantibus Pharisæis? Non arbitror, auditores: Satanæ proscriptus est, et ex proscriptione sua factus est tentator; inde hoc nomine gaudet, e diametro contrarius Deo, qui: *Intentator malorum est, neminemque tentat*, teste Jacobo, capite I. Jam vero nonne indignum et flagris etiam castigandum, si homines Satanam potius quam Deum imitentur, adeoque Deum tentent? Jure igitur merito increpantur Pharisæi, quod illo suo facto filios se diaboli, non Dei demonstrarint. Quare, auditores, grave delictum est, et plane diabolicum, Deum tentare, quod cupio vos omnes non minus quam ipsum Satanam fugere. Sed dicetis forsitan: Quis nostrum est, qui hoc audeat facere? Vel quomodo hoc contingit? Hoc nunc audiemus.

I. Tentant Dei bonitatem et clementiam, eaque abutuntur, qui sine omni reverentia ipsum adorant. Tales enim non videntur agnoscere Dei bonitatem et potentiam; qua velit ac possit postulata dare et miseris opitulari: velut si quis a statua idoli mendicet; quod fecisse ferunt Diogenem. Contra quos Ecclesiasticus, capite XVIII. ait: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Qui mendicat, paratum se præbere ad accipiendum debet, manum aut sinum expandere; non vultum avertere, aut dorsum obvertere; non joculari, non ridere, alioquin nihil expectare, nec egera reputabitur, sed illudere ei a quo petit. Id vero aut simillimum quid agit, qui sine præparatione, hoc est, sine consideratione divinæ majestatis suæque indigentia, adeoque sine reverentia, Deum orat, ut docet Divus Thomas, II. p. quæst. LXXIX. a. III. ad II. ac si messem expectet ab agro, quem prius non aravit, nec semente conspersit. Qui enim eleemosynam vel donum a divite expectat, per humilitatem et reverentiam ad flectendum divitem se disponere debet, sicut qui metere vult, prius agrum colat necesse est. Quomodo vero se disponet, qui sine prævia cogitatione, sine fine, sine reverentia orat? Nonne Deum tentat et quodammodo illudit, sicut milites illi, qui genuflexi Christum spinis coronatum, tum velut ludricum regem a quo nil sperarent, adorabant et salutabant? Matth. XXVII. Tales fuere illi

viginti quinque viri, quos ostendit Deus per visionem Ezechieli, stantes in templo, et dorsa habentes contra templum Domini, hoc est, contra Sanctum sanctorum et arcam Domini, spectantes ad orientem, more gentilium, Ezechielis VIII. Quam sane: *Abominationem pessimam* appellat ibi Deus, additque: *Numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic? Quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me.* Hi ergo non exorant, sed irritant Deum, et faces ei suggerunt ad irascendum ac puniendum ipsos; quomodo Aman, quia pro vita sua supplicaturus reginæ, non adhibuit debitam cæremoniam, sed corruit super lectulum ejus, (secundum Athanasianam synopsis, etiam genua reginæ apprehendit) regis iram in se magis concitavit, ita ut oratio ejus fieret in peccatum et in laqueum, ipseque rex indignaretur dicens: *Etiam reginam vult opprimere, me præsentem, in domo mea;* statimque juberet eum suspendi in altissimo patibulo, Estheris VII. Viderint igitur quid agant, qui ad orandum Deum sine omni devotione aut pia cogitatione corruunt, velut equi ad quietem; ne et ipsi plus iræ quam gratiæ reportent. Sensere id moniales quædam, in vita Sanctæ Lutgardis, quæ, ut scribit Thomas Cantipratanus, in ejus vita, apud Surium, 16. junii: « Sæpe reprehenderat moniales in valetudinario manentes, quod parum attente persolverent preces canonicas divinitus institutas. Cum autem dimidio ante obitum suum anno, non videret divina majestate et reverentia dignam in sororibus emendationem, ait: Scio equidem, quod post decessum meum culpam hanc manus Domini in sororibus vindicabit; et tunc memores verborum meorum, castigatæ, cum multa humilitate se corrigent, et Dominus mox retrahet manum suam, quam jam extenderat ad ultionem. Quam autem veraci spiritu hæc illa prædixerit, res ipsa neminem sinit ambigere. Nam ubi illa excessit e vita, confestim dira pestis invasit in illud monasterium, et brevissimo temporis intervallo quatuordecim probatissimæ sorores extinctæ sunt. Ego vero eodem tempore illuc veni, et duas carne ac spiritu sorores, uno eodemque momento animam reddentes, oblato pro eis sacrificio, in uno tumulo sepelivi. Cum se autem infirmæ sorores in valetudinario in dicendis canonicis precibus correxissent, Domino manum suam retrahente, pestis illa protinus sopita est. » Sic Cantiprat.

II. Dei sapientiam ac scientiam, qui an ejus oculos et sapientiam latere aliquid possit, periculum faciunt, dolos excogitando, vel se alios fingendo, uti solent hypocritæ, quales erant in

hodierno evangelio Pharisæi et Herodiani, qui Christi amicos se simulabant, cum essent inimici et sanguinem ejus sitirent: captiosam insuper quæstionem proponebant, ut in sermone eum caperent, quibus ait Dominus: *Quid mentatis hypocritæ?* Quod idem fecerunt sæpius Pharisæi, uti Matth. XVI. § I. et XIX. § III. Luc. X. § XXIII. Quibus non absimiles sunt, qui foris se justos et pios fingunt, cum in corde reprobi sint; rursus qui in confessione teclum peccata graviora abscondunt; et qui ficta puritate ad sacram communionem accedunt. Omnes illi Deum, quasi cæcum aut cæcutientem, fallere conantur, adeoque ejus sapientiam gravissima injuria tentant. Instar enim muliercularum, quæ, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. in fun. patris: « Nativa pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, theatriceque, ut sic loquar, comptæ ac ornatæ sunt, ob venustatem invenustæ, atque ob fæditatem deformiores, » ut suo illo fuce incautis et stultis juvenibus imponant. Verum Deo non imponent. Si enim viri sancti tales fucos deprehenderunt, non deprehendet Deus? Deprehendit Achias propheta uxorem Jeroboam, quæ, mutato vestitu, aliam se finxerat, dicens ei: *Ingrederere uxor Jeroboam, quare aliam te stimulas?* III. Reg. XIV. Deprehendit S. Benedictus spatharium Totilæ regis, qui regem habitu mentitus, ipsius sanctitatem exploraturus a rege missus fuerat: mox enim audiit a sancto: *Depone, fili, quod geris, nam tuum non est,* ut in breviario. Neque minus istii quam priores illi tentatores iram Dei in se provocant. Id enim testatur amicus Jobi Eliu, dicens: *Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint: morietur in tempestate anima eorum,* Job XXXVI. Quæ sane terribilis sententia indicat ejusmodi simulatores æternum perituros: « Cognoscere enim peccatores refugiunt, ait Gregorius Magnus, quia sancti opinione omnium ferebamur, licet eos ad extremum jam flagella feriant, quamvis duci ad æterna supplicia non ignorent; tales tamen cupiunt apud humana judicia remanere, quales se studuerant semper ostendere. Deprehensi ergo etiam flagello percussiois extremæ, quia confessionem puram vel afflicti exercere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt. » Morientur vero in tempestate, hoc est, morte violenta, necnon conscientie stimulo et honoris vani appetitu inter se confligentibus, ipsumque in desperationem quasi redigentibus. Potuit procax uxor Putipharis marito persuadere se esse puram et integram: Josephum vero turpem et adulterum, castitati ejus insidiatum fuisse: verum Deus

larvam ipsi detraxit, et Josephi integritatem aperuit, quando eum ad primam regni dignitatem et currum triumphalem evexit; quod cum ipsa vidit, in triumpho scilicet vectum Josephum, impatientia muliebri furens (uti tradunt Hebræi, teste Fernandez, in cap. Gen. XLI.) mortem sibi ipsi laqueo conscivit.

III. Dei providentiam, qui in angustia vel defectu qualicumque de ejus auxilio et ope diffidunt, et desperabunde loquuntur, quemadmodum Hebræi in deserto ob defectum aquæ jurgati contra Moysen: *Da nobis aquam, ut bibamus.* Quibus respondet Moyses: *Quid jurgamini contra me? Cur tentatis Dominum?* Quam ob causam Moyses: *Vocavit nomen loci illius, tentatio, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, annon?* Exod. XVII. Fuit ergo tam grave hoc peccatum illorum, ut nomen loco daret, et sæpissime in Scriptura ex illo nomine eis exprobraretur: quomodo in fragmenta ollæ, quam confregit canis, os ejus impingitur, uti fit Deut. VI. Psalm. LXXVII. et XCIV. et CV. Porro non dubitarunt illi Deum sibi adesse suæ divinitatis immensitate; sed an adesset sua providentia et paterna cura, quasi dicat: Numquid nos Deus adjuvat? Estne nobiscum, an deseruit nos? Dei bonitatem in dubium revocantes et experiri cupientes per miraculum, cum tamen eam prius toties experti, essent. Gravis est hæc Dei providentissimi tentatio. « Quis enim operator, ait S. Ambrosius, lib. I. de offic. cap. XIII. negligit operis sui curam? Quis deserit ac destituit, quod ipse condendum putavit? Non curare ergo quod feceris, summæ inclementiæ est. » Verum illa diffidentia populi dumtaxat fuit, contigitque anno migrationis secundo. Magis mirum illud, quod anno in similem diffidentiam lapsi etiam sint ipse Moyses et Aaron, in simili aquæ penuria ad Cades, Num. XX. Ubi cum rursus murmuraret populus, et Moyses juberetur a Deo petram percutere, ad eliciendam aquam, diffidenter locutus est: *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Non quasi dubitarent, an id Deus posset facere, quod jam pridem experti erant, sed an populo tam ingrato, rebeli et incredulo tantum beneficium esset exhibiturus; quod indicavit Moyses verbis illis: *Audite, rebelles et increduli: Num de petra hac, etc.* Fuit ergo hæc Moyses et Aaronis (tacite idem sentientis) diffidentia et Dei tentatio non lethalis sed venialis tantum; quia Deus absolute promiserat aquam, quod ipsi sub conditione tantum vel ironice dicere putabant. Et tamen ea re adeo Deus offensus est, ut in expiationem illius peccati, ambos

morte mulctarit, et ingressu terræ promissæ, cujus gratia totum illud iter susceptum erat, privarit: *Quia non credidisti, inquit, mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introduceatis hos populos in terram, quam dabo eis,* quasi dicat: Quia me tentastis, an mea bonitate superarem populi iniquitatem, et amplius vellem benefacere, quam populus malefacere, non introduceatis, etc. Quam pœnam in Moysen tanto Dei amico et thaumaturgo considerans S. Basil. in præem. lib. ethic. « Vere, ut est apud apostolum, inquit, rigidam Dei severitatem video, vereque illud dictum esse persuadeo mihi: Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? » Quanto gravius igitur offendunt illi Deum, qui confidentiam in Deo omnino amittunt, adeoque desperabunde de ipso loqui audent, quasi jam actum esset cum divino auxilio! Necnon et illi, qui in tribulationibus constituti plus præsidii ponunt in hominibus quam in Deo! Graviter id exprobravit Judith (Jud. c. VIII.) Ozia et Bethulia civibus, qui obsessi ab Holoferne constituerunt se ei tradere, si intra quinque dies non veniret eis adjutorium. « Quod est verbum hoc, inquit, et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet et furorem accendat. » Tentaverunt illi Deum, quia experiri voluerunt, an posset ac vellet intra id, quod ipsi definierant, spatium eos juvare, et posuerunt quinque dies pro termino, addito juramento se ultra eos non expectaturos auxilium, quod erat Deo tempus et modum miserationis ponere, temerarium, i. e. « Etenim aurifex, ait S. Chrysost. hom. IV. ad pop. donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic et Deus non abducit hanc (tribulationis) nubem, donec nos penitus emendaverit. Qui enim tentationem permisit, ipse novit et tentationis solvendæ tempus. Et sicut citharædus neque nervum intendit, ut non abrumpat, neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat; sic et Deus agit: neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens. » Sic ille. Denique Saul, quia Deo diffisus consulit Pythonissam de futuro eventu, a Deo interfectus dicitur, I. Paralip. XX. quia scilicet datus in reprobam sensum, et derelictus est a Deo, unde in proprio gladio incumbens, sibi vitam eripuit, I. Reg. ult.

IV. Dei patientiam et longanimitatem, qui peccatis addunt peccata, et eadem toties recidunt in iisque perseverant. Quales imprimis illi apud Malach. c. III. *Qui ædificati sunt facientes impie-*